

L A T I N I T A S
COMMENTARII LINGVAE LATINAE EXCOLENDAE
AVSPICE SEDE APOSTOLICA EDITI

Commentariorum Moderator,

HAMLETVS TONDINI, ab Epistulis Summi Pontificis ad Principes;

Alter a Moderatore,

IOSEPHVS DEL TON, ab Epistulis Latinis Summi Pontificis;

Ab Actis Commentariorum,

RINVS MARSIGLIO, a Studiis Cancellariae Apostolicae.

Consilium commentariis moderandis sedem habet in Vrbe Vaticana ad quod dandae epistulae, chartulae, etiam nummariae, aliaque id genus hisce verbis inscribantur: « *Latinitas* » — *Città del Vaticano*.

In Italia pecunia apud publici cursus diribitoria ad Commentariorum nomen et numerum (« *Latinitas* » c/c 1-30963) referri potest.

Pro commentariis sunt in annum solvendae: *in Italia lib. 2000 - extra Italiam § 5.*
Singula opuscula veneunt: *in Ital. lib. 500 - extra Italiam § 1,50.*

Socii benemerentes pendunt in annum: *in Italia lib. 10.000 - extra Italiam § 20.*

COMMENTARIIS PRAEPOSITI OMNIA SIBI VINDICANT
PROPRIETATIS IVRA

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE — ROMAE

MENS. IVL. AB INIT. COMM. HVIVS ANNI
AN. MCMLXIX AN. XVII LIB. III

LATINITAS

COMMENTARII LINGVAE LATINAE EXCOLENDAE
QVATER IN ANNO EX VRBE VATICANA PRODEVNTES

LIO COMMENTARIIS MODERANDIS QVI LATINITAS INSCRIBVNTVR SINGVLIS PETITORIBVS PALMAM ADEPTIS AC LECTISSIMO ASTANTIVM COETVI APOSTOLICAM BENEDICTIONEM PERAMANTER DILARGITVR. CARDINALIS CICOGNANI.

Deinde lectissimus vir Aloisius Dal Zotto, in Seminario Patavino Latinarum Graecarumque litterarum professor, suam orationem de Forcelliniano lexico excellenti eloquentia habuit. Quam copiosam sane et ornatam orationem, in huius ipsius libelli paginis iure merito in vulgus missam, lector inveniet.

Demum Rinus Marsiglio, ut est vir horum Commentariorum Certaminisque Vaticani ab Actis, victorum nomina² publice renuntiavit, quibus meriti plausus iterum iterumque tributi, dum et honoraria diplomata, et praemia rei pecuniariae, et aurea vel argentea nomismata e Cardinalium manibus pro suo quisque merito accipiunt.

RINVS MARSIGLIO

SOCIORVM NOMINA
DE OPERE NOSTRO BENE MERENTIVM
IN ANNVM MDCCCCLXIX

F. A. SEDEY, ex urbe *Hibbing*, in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus.

F. ULRICH, ex urbe *Hemmenhofen*, in Germania.

RICHARDVS BAUER, ex urbe *Berolino*, in Germania.

² Cf. *Latinitas* 1969, II, p. 83.

DE FORCELLINIANI LEXICI ORIGINE
ALTERO AB AVCTORIS OBITV SAECVLO ELAPSO *

Quod bene vertat vobis primo, Eminentissimi Ecclesiae Principes et Excellentissimi Praesules, omnibusque deinde una hodie ad tam praeclarum virorum coetum clarissima in hac civitate circumsedentibus, quae ...*et rerum facta est pulcherrima Roma*¹ et per sacram beati Petri Sedem caput orbis effecta latius praesidet religione divina, quam praefuit quondam dominatione terrena², mihi minimo Seminarii illius Patavini alumno, quod et honestissimum olim exstitit domicilium bonarum disciplinarum et artium, et lexicographorum Latinorum principem aluit, de tanto viro nonnulla disserere liceat, altero expleto iam saeculo ab eiusdem excessu.

Id mecum quaerenti visum est pro modulo meo ea simul contexere, quae de Forcelliniani Lexici origine et compositione testimonia docent historiae, auctoris prope inhaerendo vestigiis, dum longum quadraginta annorum iter emensus, ad finem demum, difficultatibus paene innumeris frustra obnitentibus, venit.

Quodsi sequiora, quam expectabatis, audietis, id, quaeso, et imperitiae dicentis et amicis tribuite, quorum *haud mollia iussa*³ coegerunt invitum.

Ad imas Alpium propagines, qua Plavis fluctus, Feltrinis superatis angustiis, campestria adluere properant, pagus humilis nitet — Foenerum incolae vocant — quem, quasi corona, cacu-

* Hanc orationem auctor in Riaria Curia Romae habuit, quo die Certaminis Vaticani victores renuntiati praemioque affecti sunt.

¹ VERG., *Georg.*, II, 534.

² Cf. LEON. MAGN., *Serm. in Nativitate Apost. Petri et Pauli*, MIGNE P.L., LIV, col. 423.

³ VERG., *Georg.*, III, 41.

mina hinc aspera rupibus, hinc molli declivitate circumstant. Anno reparatae Salutis MDCLXXXVIII, VII Cal. Sept. Aegidius Forcellinus hic editus orbi⁴.

Qui paupere in domo nec tamen obscura progenie pientissimae matris candore, mansuetudine, exemplis ab incunabulis ipsis imbutus⁵, Huberto patruo puerulus traditur, ut prima ab eo rudimenta religionis ac litterarum ediscat, quem olim Sanctus Gregorius Barbadicus episcopus ad sacra munera evexerat doctrina, pietate morumque innocentia acceptissimum⁶.

Cum vero quintodecimo aetatis anno in Seminario Patavino studiorum iter inisset, mirum qua animi constantia, qua celeritate, quam naviter humanarum divinarumque disciplinarum cursum sexennii spatio compleverit. Haec velim audiatis de illo e

⁴ Dies natalis ex plurimis locis ac potissimum ex ipsius baptismi testimonio deducitur, quod bellico turbine periit annis 1917-1918, sed antea ex tabulario paroeciae S. Vlderici de Campo, in cuius ditione tunc domus erat Aegidii, accurate descriptum ediderat Iacobus Bernardi. Cf. *Lettere di Egidio Forcellini al fratello Marco con biografia di Egidio ed altre aggiunte*, Padova 1876, p. 46, n. 30.

⁵ De christiana matris sapientia ceterisque virtutibus et plura et mira pietate fragrantia tum Aegidii tum Marci fratris testantur epistolae, occasione praecipue eiusdem obitus datae. Cf. *Lettere mem.*, pp. 151-152 et 209-225, necnon et quae in ms. miscell. 884C Venetiis apud Museum Correr asservantur, die 10 febr. et die 8 mart. 1747 (1746 more Veneto) datae.

⁶ Hubertus Forcellini et ipse Foeneri ortus a. 1659 ac postea in Seminario Patavino Oblatus, cum duodetricesimum annum ageret, *nemine alio illi in concursu palmam contendente*, Segusini parochus eligitur, qui locus, brevi spatio ab originis pago interiecto, ad oppositam Plavis fluminis ripam extenditur. Ibi quinquaginta prope annos curionis munere fungens sacerdotalium virtutum fama praefulsit. Aegidius *amantissimi ac sanctissimi patris summa in se merita libens saepissime recognoscebat, eiusque singularem pietatem, patientiam, integritatem cum lacrymis recordabatur. Illi secundum Deum primas sibi agendas gratias quod non hominum pessimus... esset... centies audivi dicentem*. Haec Franciscus Casamata, Aegidii paene aequalis et municeps, in *Commentario de vita Aegidii Forcellini*, c. 1, qui in exemplari ms. 320 Bibl. Sem. Pat. servatur. Vbi vero patruus obiit, eum nepos subsequenti inscriptione commemoravit, in paroeciali quondam domicilio Segusini insculpta: HVBERTO FORCELLINI / SEMINARII PATAVINI ALVMNO / HVIVS ECCLESIAE ANNOS XLVIII / RECTORI ET VIC(ARIO) FORANEO / MANSVETVDINE MODESTIA PATIENTIA / LIBERALITATE IN PAVPERES / INSGNI IN ANIMARVM CVRA / VERBI DEI PRAEDI- CATIONE / INDEFESSO / PATAVINIS SVI TEMPORIS EPISCOPIIS / DOCTRINA PRVDENTIA PIETATE / MIRE PROBATO / AEGIDIVS FORCELLINVS / PATRVO OPTIME DE SE MERITO / MAERENS P(OSVIT) V. A. LXXV M. X D. III / OBIT VII IDVS SEPT. / H. F. S. Extremas compendiaras litteras H.F.S. nonnulli explicant quasi *Hieronimum Fiorentini Successorem* significant. At rectius fortasse legendum H.F.C. (*haeres faciendum curavit*), quae sigla in Romanis titulis saepenumero adhibetur. Cf. H. DESSAU, *Inscriptiones Latinae selectae*, v. III, p. II, Berolini 1910, c. XV *Compendia scripturae*, p. 771.

Seminarii tabulis passim excerpta, quas, habitis examinibus, bis in anno de singulis discipulis accurate diiudicantes sua manu magistri exarabant et magna deinde celebritate coram ipso civitatis Antistite studiorum praefectus legebat⁷: — Ingenii: *prompti et perspicacis; perspicacis et elegantis; optimi; lucidi; pollicentis maiora*. — Memoriae: *eximiae; felicissimae; firmae; promptae et firmae; expeditae*. — In compositione latina: *Supra grammaticum*; et alias: *Solecismus unus*, « *nomen immortalem* », quod videtur excidisse; *caeterum copiose et bene*. — In carminibus: *omnia bene*. — In verbo Graeco: *pro exiguo usu cum laude*⁸. (*Grammatica enim eius linguae rudimenta unius anni spatio edidicit; in quibus totum triennium longioremque aetatem etiam minori cum utilitate maxima pars insumere consuevimus*. Haec quidam eiusdem fere temporis Seminarii Patavini discipulus⁹).

Theologiae nondum curriculo emenso, paulo antequam ad Ordinem sacerdotalem ascenderet *intaminatae adulescens disciplinae et inculpatae vitae* ad prima Latinae et Graecae linguae elementa in infima schola tradenda ab episcopo eligitur, *ita ferente loci consuetudine, ut qui novissime in magistrorum ordinem cooptatur, ab infima schola ad superiores promoveatur*¹⁰. Id auctore Iacobo Facciolato factum, qui *in litterarum republica illustre nomen* — ut ait Forcellinus — *praerat tunc temporis in Semina-*

⁷ Haec habet de concionibus illis IO. BAPTISTA FERRARI, *Vitae virorum illustrium Seminarii Patavini cum opusculo de singulari B. Gregorii Barbadici studio et amore in idem Seminarium*, Patavii 1815, p. 32: *Absolutis examinibus in formam iudicii erigebatur tribunal. Huc ascendens qui studiis praerat, sententiam de alumnis singulis pronunciabat. Audito suo quisque nomine, debebat statim surgere, vel laude, vel vituperatione pro suis meritis excipiendus in magna auditorum corona. Aderant enim non domestici solum, sed et externi, de industria et ipsi vocati, ut eorum consessus frequens ornaret locum et rei gravissimae speciem exhibens, eandem animis iuvenum alte infigeret. Varias interim quasi partes trahebat corda pavor pulsans laudumque arrecta cupido. Tum iubebatur accedere, qui eminisset diligentia et ingenii fructu prae ceteris, relaturus vel libros, vel pecuniam, vel quid simile ab eminentissimo Principe loco praemii. Quod omnibus maximo erat incitamento ad studia.*

⁸ Cf. *Status clericorum Seminarii Patavini, prout quisque se gessit in proxime habitis examinibus*, XII mss. libelli Bibl. Sem. Pat. ab a. 1705 ad a. 1710.

⁹ CASAMATA, *Commentarii mem.*, c. 2.

¹⁰ *Ibid.*, c. 2.

rio Patavino universorum studiorum regimini et ut quam rectissime procederent sedula cogitatione atque ope nitebatur¹¹. Eum summis laudibus iam tunc eruditi extollebant, ipso Walchio e Germaniae finibus celeberrimum virum fatente quippe qui eruditione *multiplici elegantiori cum philosophiae usu excelleret*¹². Eum maximum elegantiarum Latinarum studiosum Forcellinus, Rhetoricae alumnus, at parum fortasse consentiens audierat, cum is adulescentis quodam ardore — vix enim quintum supra vicesimum aetatis annum attigerat — prolusione scholaris anni MDCCVII demonstrare contenderet *iuvenes ad eloquentiam aptiores esse quam senes*, cumque iterum subsequenti anno iisdem paene coram audientibus, Graecum Carneadem aemulatus coram Romanis olim et pro iustitia et contra iustitiam disputantem, adulescentibus eloquentiae palmam abripiens, ea senes donandos ostenderet¹³. Eundem Forcellinus Academiae scholae magistrum audivit, cui scholae Theologiae discipuli adscisciebantur, qui super alios excellerent, ut altiore politorum litterarum studiis imbuti in Seminario forent aliquando magistri.

Pergratus discipulus eum semper in posterum unice coluit, saepissime dicere solitus uni illi post Deum sibi gratias habendas, *quod non stultissimus esset et illiteratus*¹⁴. Neque parvam de alumno spem aluit magister, qui mox, iterum consiliis collatis, ab episcopo obtinuit, ut eius studio et industria frui sibi liceret ad opus, cui uni absolvendo totam paene vitam discipulus inde laboriosissime impendit.

¹¹ Praefatio ad Lexicon III, Ed. Corradini, p. XXXIX.

¹² Io. GEORGII WALCHII, *Historia critica linguae Latinae*, Lipsiae 1706, Dedicatio et p. 443.

¹³ Duas orationes die 22 dec. 1707 et die 22 dec. 1708 ad instauranda Seminarii Patavini studia coram Civitatis Episcopo Georgio Card. Cornelio habitas, quinquaginta fere post annos idem Facciolatus edidit in appendice ad historiam Universitatis Patavinae (p. I, v. I), quae *Fasti Gymnasii Patavini* inscribitur quaeque ab eodem elucubrata, tum primo edita est. *Illae* — inquit — *mihi primum vix scholarum subselliis egresso et ad docendum traducto, publicae lucis aditum aperuerunt, ingenii rudimenta non sane magni, sed tamen ad magna contententis et laboriosi* (ibid.).

¹⁴ CASAMATA, *Commentarii mem.*, c. 1. Adde ibid. c. 2: *Hunc* (Facciolatum) *ad ultimam usque aetatem magistrum suum nominabat, illi uni omnia, quae sciret accepta, referebat.*

Vt Seminarii clerici Latinae linguae consuetudinem assequerentur non satis idonea habebantur subsidia, quae praesto erant eo tempore glossaria et lexica. Multa idcirco, quae novo lexico viam veluti sternerent, superiore saeculo, Barbado ipso sanctissimo praesule urgente, patienti cura magistri paraverant, quos inter Ioannes Baptista Ferrazzi, Iacobus Iacobetti, Petrus Coppo ac praecipue Iacobus ille Sartori, qui cum diu et alacriter, ut ipse fatetur, in locutionibus Ciceronianis adlaboravisset, et sui et alieni laboris fructus amplissima appendice collegit, Calepini Lexico addita, quod anno MDCCVIII Seminarium curavit edendum¹⁵, meliora editurum in posterum.

Inconditum enim aliquid atque deforme neque ultra ferendum huiusmodi opus censebant, quod etiam ducentos post annos, quam primo in lucem prodierat, imperare videbatur, Latinitatis arbiter unus ac *veluti sacra studiorum anchora, ad quam confugiebant, qui in lingua Latina se exercere volebant*¹⁶. Neque id sane optimo iure, sed necessitate cogente. Nam, ut Vives suo tempore docuit, Ambrosius Bergomensis, de Calepio comitis filius et Augustiniana familiae sodalis dictionarium suum nonnisi ex Varrone, Festo Pompeio, Nonio Marcello, Nicolao Perrotto, Fontellio confecerat, *homo congerendis quidem illis idoneus, edendis vero quae deerant non idoneus*¹⁷. Et pari in eum indulgentia Michelangelus a Fano: *Quod aetas illa* — inquit — *nondum litteris satis exculta ferebat, praestitit, ideoque venia, quam laude nostra dignior*¹⁸.

¹⁵ F. AMBROSII CALEPINI, *Dictionarium septem linguarum nova hac editione diligentissime castigatum, tantaque verborum ac rerum copia auctum, ut supplemento ad calcem opus fuerit. Accedit Lexicon Italico-Latinum multo quam antea copiosius una cum Henrici Farnesii appendiculis*, Patavii, e typographia Seminarii, MDCCVIII. Cf. S. SERENA, *L'opera data dal Cardinale Beato Gregorio Barbarigo nel Seminario di Padova agli studi della lingua e della letteratura latina*, Padova 1938, pp. 26-27. A. DAL ZOTTO, *Umanità e spiritualità di Egidio Forcellini lessicografo* (in «*Fonti e ricerche di storia ecclesiastica padovana*», v. II, Padova 1969, p. 314, n. 37).

¹⁶ D. G. MORHOFII, *Polyhistor sive de notitia auctorum et rerum commentarii*, v. I, l. IV, 9, Lubecae 1688 sqq.

¹⁷ I. L. VIVES, *De disciplinis lib. XX*, Lugduni 1551: *De disciplinis tradendis*, l. III, p. 27.

¹⁸ MICHELANGELI A FANO BENEDICTI, *Auctarium ad Grammaticam philosophicam eiusque rudimenta...*, Gerac 1671, p. 65, ubi etiam Gosippi sententia affertur, qui homini litterato erubescendum ducit Calepiniani Indicis mentionem facere.

Omnium vero acerbissimus Franciscus Floridus infamiae quasi nota Calepinum monachum inurendum censebat *cum suo illo insulso foetidoque dictionario, quem ex Perrotti sudoribus con-gessit; adeo ut — inquit — optime litteris consuli nemo ambigat, si fex illa publico edicto supprimatur*¹⁹. Non igitur mirum si, tanta sibi fama usurpata, Calepini cum Americi Vespucci nomine comparaverunt poster²⁰.

Cuius vitia non tam emendare, quam potius augere visi sunt, qui manus deinde ad eum retractandum apposuerunt, ut grammaticus quidam salso epigrammate innuit:

*Bonus ille Calepinus toties coctus et recoctus parum sapit*²¹.

Haec omnia Facciolatus secum ipse perpendens profiteri coepit se velle ex eo expellere quae barbara essent aut impropria atque alia sufficere, quibus lexicon penitus expurgaretur ac renovaretur. Quod etiam paulo post aggressus est, aliis alia sentientibus, sed operi omnino favente — ut ipse enarrat — Georgio Card. Cornelio, Civitatis Episcopo, consilii pleno et sapientiae viro qui ei uni totius rei arbitrio concessio, permisit ut unum aliquem ex discipulis deligeret, ingenio moribusque spectatum, isque Aegidius Forcellinus fuit qui zotheca eius inclusus, ei uni auscultaret operamque fideliter praeberet.

Itaque *intra quattuor admodum annos expurgatus, auctus et perpolitus liber est, non quidem ut debuit, sed ut potuit, urgente quotidie typographo*²².

¹⁹ Floridi censuram ex *Apologia de poetis Latinis* eruit et loco supra allato refert Michelangelus a Fano. Quae vero de Calepino et huiusmodi censoribus sentiat Walchius, cf. in op. mem. c. VI, ubi de Latinis lexicis eorumque usibus agens, pp. 231-233: *Acerbius omnino — ait — plurimi de Lexico hoc iudicant.*

²⁰ G. TIRABOSCHI, *Storia della Letteratura Italiana*, Venezia 1824, pp. 2093-2094.

²¹ V. DE VIT, in *Praefatione Lexici Forcelliniani a se lucubrat*, p. X, epigramma Olao Borrichio in *Dissertatione de Lexicis Latinis et Graecis* tribuit. At huius scriptoris *Appendix de Lexicis Latinis et Graecis*, quae post *Cogitationes de variis Latinae linguae aetatibus* Panormi edita est a. 1716, cum plura de Calepino agat, nusquam versum habet. Neque epigramma prorsus legitur in opere Andreae Borrichii, quod inscribitur *Vindicta purioris Latinitatis*, Hauniae edito a. 1706.

²² Haec et alia deduximus e FACCIOLATI *Epistola Iosepho Lastae, Venetae Pisanorum Bibliothecae Praefecto*, Lexici Forcelliniani editionibus praemissa. De qua cf. S. SERENA, *Scrittori Latini del Seminario di Padova*, Padova 1936, pp. 145-147.

*Quattuor amplius annos — idem Facciolatus testatur, quasi Sisyphus alter — saxum hoc volvi non sine ope strenuissimi adolescentis*²³. At bona pace magistri fatendum, adulescentem illum paene solum *pondus diei et aestum* portasse eiusque praecipue sudoribus immane saxum volutum, aliqua utique magistri opera et libris²⁴ consiliisque accedentibus.

In nova hac editione Iacobi Sartori appendix, quae ad calcem decem ante annos edita erat, suo loco inserta est, iis demptis, quae nulla scriptorum antiquorum auctoritate vel Graecorum tantummodo innitebantur.

Multa ridicula etyma, geographica et historica quaedam, barbara omnia expulsa. Ad aliorum Lexicorum usum quod attinet, multa se ex multis collegisse Facciolatus in Praefatione fatetur, neque se Basilii Fabri Thesauro²⁵ caruisse, quo uno nihil esset in hac parte studiorum perfectius, et idcirco infinita prope inde deducta. E Passeratii dictionario²⁶, licet multos tunc temporis amatores haberet, ex iis praesertim qui se plurimum sapere putarent, fere nihil se collegisse. Operis vero titulum minime immutandum esse censuit: *Oportet enim — ait — scenae ac populo servire, qui pervulgato Calepini nomine capitur nihilque in hoc genere, quam Calepini nomen pati potest.*

*Probata est Latinitatis studiosis opera et scholis excepta*²⁷. Nec tamen auctores sibi acquiescendum esse putarunt. *Interpolatio enim docuit tot ac tanta esse in illo opere corrigenda, mutanda*

²³ I. FACCIOLATI, *Praefatio* ad Calepinum, a. 1718 a Seminario Patavino editum.

²⁴ Plures libri de re lexicali in Bibl. Sem. Pat. supersunt *ex dono Iacobi Facciolati*, ut ipse Forcellinus, aliquot annos bibliothecae custos, sua manu in primis eorumdem paginis adnotandum curavit.

²⁵ BASILII FABRI SORANI, *Thesaurus eruditionis scholasticae... cumulatior et quodammodo novus assiduitate laborum Andreae Stubelli recensitus, emendatus, locupletatus a Matthia Gesnero*, Lipsiae 1710.

²⁶ AMBROSII CALEPINI, *Dictionarium quanta maxime fide ac diligentia accurate emendatum ac tot recens factis accessionibus ita, ut thesaurum linguae Latinae quilibet polliceri sibi audeat... Praeter alia omnia quae in hunc usque diem fuerunt addita, praecipue a IOANNE PASSERATIO... adiectum est supplementum, adornatum a R.P. IOANNE LVD. DE LA CERDA, S.I., Lugduni 1647; 1667; 1681.*

²⁷ *Epist. mem. ad Lastam*. Octies prodiiit haec editio Seminarii Patavini typis, annis 1718, 1726, 1731, 1736, 1741, 1746, 1752, 1758, novis semper curis, in octava praecipue editione, cum interea magni Lexici elucubratio ad finem usque gradatim procederet.

et addenda, ut nihil probabile emitti posset, nisi de integro recederetur. Itaque sub finem anni MDCCXVIII iussu Card. Georgii Cornelii et ductu Iacobi Facciolati, studiorum praefecti, aggressus sum tam vastum opus. Haec multis post annis Aegidius²⁸. Rotundiore autem facundia magister: *Mihi crevit — inquit — audacia et maius aliquid cogitare coepi... Novum condere Lexicon aggressus sum, quod omnes voces variosque earum usus complecteretur, eiusdem adhibita Forcellini industria, hominis admodum intelligentis et navi*²⁹.

At praeter industriam alias quoque virtutes ab eo Facciolatus petivit. Cuius enim auxilium in Lexico Graeco emendando et in Itala Orthographia³⁰ concinnanda exquisierat, quemque συνεργόν sibi fuisse in Calepino expurgando fatetur, eidem uni Latinum Lexicon reficiendum imposuit, non quidem — ait candidus ille vir de se tam humiliter sentiens — *id secutus, quod satis in me ingenii esse putaret — novit enim ipse, et ego plane sentio, esse perexiguum — sed quod videret satis firmam meam valetudinem et longissimi laboris patientem arbitraretur. Itaque, me praebente manum, illo consilium atque opem, tandem post annos prope quadraginta finis operi paene immenso impositus est*³¹.

*Annos prope quadraginta... Grande mortalis aevi spatium!*³² quo ille per tot rerum angustias praeteriens, nullo fractus labore ad destinatum usque processit.

Quae autem tanti operis vicissitudines fuerint iam antea vulgatum, Forcellino ipso edocente. *Tam vastum opus aggressus — ait ille — tres annos cum dimidio in littera A insumpsi. Dumque alacriter pergerem, accidit ut anno MDCCXXIV Seminarium relinquere cogerer*³³. Ad vocem *Comitor* id tempus pervenerat, ubi ad

²⁸ Praefatio ad Lexicon III, Ed. Corradini.

²⁹ Epist. mem. ad Lastam.

³⁰ *Ortografia italiana*, quam saepius edidit Seminarium Patavinum inde ab anno 1718. Est Lexicon Italicum-Latinum cum vocibus, quas ex optimis Italiae scriptoribus Facciolatus, nonnullis opitulantis, collegit, addita Latina interpretatione. De cuius historia deque iis quae in eiusdem compositione ad Forcellinum pertinent, cf. A. DAL ZOTTO, *Umanità* etc. mem., pp. 311-312 et n. 33.

³¹ Praefatio III mem.

³² TAC., *Agric.* 3.

³³ Cf. temporum adnotationes, quas Forcellinus ipse collegit, quinto loco inter Praefationes ad Lexicon in Ed. Corradini relatas.

marginem exarati sua manu voluminis, atramento verbis circumlito, scripsit: *Hic opus malo fato intermissum. Quodnam fatum? Diu pridem quaesitum, at nondum res liquet, nimium reticente, qua erat modestia et mansuetudine Aegidio, nimium contra et acriter adversarios incusante eodem fato correpto magistro. Hoc certe dicendum, inceptum opus haud arrisisse, nonnullis fortasse insinuantibus Seminarii magistris, Ioanni Francisco Barbadico, Gregorii nepoti, qui paulo ante in munus episcopatus Cardinali Cornelio successerat. Neque enim diuturnum laborem sumptusque compensaturum, neque valde profuturum videri, mole inspecta, discipulis. Edixisse igitur Praesulem ut omnia in compendium redigerentur neque sermo ulterius de illo haberetur*³⁴. Tum Facciolatus, Seminarii scholas infenso animo deserens, munus docendi in Archigymnasio Patavino suscepit, Forcellinus vero duobus post annis ad Seminarium Cenetense migravit, ubi et rectoris et praefecti studiorum et rhetoricae magistri munere functus, tam claram sibi laudem comparavit, ut eum alterum Seminarii parentem et aequales et posterum consalutaverint³⁵.

Septennio vero ibidem expleto, Patavium iterum, Facciolato auctore, vocatus, cum interea novus subiisset episcopus, libentissime rediit ac *strenue progrediens*, resumptum idib. april. a. MDCCXXXI *calepinarium* opus ad *Pone* usque vocem protraxit. Quo ubi pervenit, iterum sua manu adnotavit: *Deinceps tarde admodum hic labor procedet, quod mihi praeterea gravissimum Confessarii onus ab Episcopo impositum est.*

³⁴ CASAMATA, *Commentarius* mem., c. 6, n., ubi in epistula quadam Facciolati ad Nicolaum Andrisium comitem a. 1724 missa, haec habet: *I Vescovi di questo tempo hanno per massima di fare tutto a rovescio del loro antecessore... E già dispersa la vecchia lega, come lo chiama questo eminentissimo ed il conato del Cardinale Cornaro, come lo chiama il suo maestro di camera. Un maestro di Seminario che ardisca di venire alla mia casa, è subito reo di lesa barbarigaggine e si esclude. Così è accaduto di fresco a quello che lavorava nel Calepino e doveva necessariamente frequentare da me. Sua Eminenza ha comandato che si abbrevi tutto e non si parli mai più di Calepino.*

³⁵ Adhuc exstat in conclavi maximo Seminarii Cenetensis sequens in eius laudem inscriptio: AEGIDIO FORCELLINI / LEXICOGRAPH(ORVM) PRINCIPI / ALTERI SEMIN(ARI) CENET(ENSIS) AB ANNO MDCCXXIV / PER SEPTENN(IVM) / IN MORVM DISCIPL(INA) IN LITTER(ARVM) STVDIIS PROMOV(ENDIS) / PARENTI / DIVTVRNVN DEDIGNATI SILENTIVM / AN(NO) MDCCCLV PROF(ESSORES) P(OSVERVNT).

Eo in munere animorum moderator pietate, doctrina morumque honestate praecellens novem circiter annos sacrorum alumnos, manu tamquam ducens, caelestibus disciplinis fovit, aluit, erudiit; cum tamen quereretur lentissime progredi Lexicon, quasi *aegrotum* et *claudum* et *subinde insistens* et cum testudinibus ambulans³⁶.

At demum, quod iamdiu exoptaverat, iubente Cardinali Rezzonico Episcopo, Clemente XIII Pont. Max. septem post annos futuro, ad pristinum laborem totis viribus rediit exsultans. Haec tum ad vocem *Thesaurus* adscripsit: *Erit deinceps, si vita viresque suppetent, expeditior hic labor soluto me cura illa graviore.*

Necdum sedecim expleverat menses, cum tandem, ultima Lexici voce explicata, die XXIII febr. a. MDCCLIII, « θεῶν χάρις, Deo gratias » exaravit ad calcem; ac paulo post, longo veluti itinere stationibusque permensis: *Ad qualemcumque finem Deo favente perveni.*

*Phoebus utrumque polum decies quater axe revisit
haec nostra immensum dum manus urget opus.*

Statim relegere coepit atque interea descriptio inchoata, quam sedecim voluminibus nitidissime absolvit Ludovicus Violato, et ipse Seminarii quondam alumnus³⁷.

Die XVII April. a. MDCCLXV manu scriptum opus, antequam auctor patrias remearet ad aedes, in officinam librariam delatum est, aliquando typis, ni fata ostarent, edendum.

Superest ut inquiratur, quid sibi praestituerit quamque viam rationemque secutus tantum opus Forcellinus absolverit. Paucis expediar.

³⁶ Praefatio V mem.; *Lettere* mem., p. 140: 22 nov. 1745 ad Marcum fratrem: *Il mio Calepino sta male, al solito interrotto, impedito quasi ogni di, costretto a camminare colle tartarughe.*

³⁷ Eiusdem Violato opusculum in Bibl. Sem. Pat. exstat nigris et rubris coloribus concinne exaratum, in quo ea omnia vir ille accurate adnotavit, quae ad descriptionem Lexici variasque sive Lexici, sive Forcellini et ipsius Seminarii atque dioeceseos per id tempus vicissitudines pertinent, quas inter Caroli Rezzonici Episcopi ad supremi Pontificatus apicem electionis nuncios allatos.

Non sane eruditorum virorum oblitus, qui ad severioris disciplinae trutinam Latinarum omnium vocum originem, vim, usus expendunt, sed Seminarii sui potissimum memor

*expertus didicit quam gravis iste labor*³⁸,

ipsius primis Praefationis verbis lectores quasi monentibus alumnisque opus omne dicantibus:

CLERICIS SEMINARII PATAVINI
LATINAE CONSVETVDINIS ADSEQVENDAE CVPIDIS.

Clericis inquam, quos patri similis circumsedentes alloquitur, dum fructus tradit diuturni et improbi eorum causa suscepti laboris: *Vobis adolescentibus laborabam.*

Cumque Latinam consuetudinem et auctorum Romanorum intelligentia et pura et affluens Latina locutio efficiant, *prima cura fuit omnes Latinas voces describere et exacte disponere, ut quaerentibus facile occurrerent.* Quas quidem non satis habuit ab aliis sumere simulque congerere, sed auctores non paucos — ipsius paene verbis utor — qui indicibus verborum carebant, attente percurrit necnon et sex aut septem inscriptorum lapidum collectiones et numismata vetera veteresque grammaticos. (Adhuc exstat in Seminarii Patavini Bibliotheca Grammaticorum Latinorum Corpus Putschii curis quondam collectum, μέγα βιβλίον, saeculorum croceis coloribus distinctum, spatiis interiacentibus nullis, typographorum mendis obsitum, quod sua ipsius manu ut saepe solebat, adnotatiunculis Forcellinus instruxit³⁹).

Orthographiae quoque accuratam rationem habuit secutus auctores eius rei peritissimos et probae notae lapides atque numismata. Neque syllabarum quantitatem praeteriit, *ne qui legunt* —

³⁸ Cf. pentametrum super Aegidii pictam imaginem in Bibl. Sem. Pat. assertatam, quam ipse in Epistulis mem. ad Marcum fratrem pp. 177-178 describit.

³⁹ *Grammaticae Latinae auctores antiqui... quorum aliquot numquam antehac editi, reliqui ex manuscriptis codicibus ita augentur et emendantur, ut nunc primum prodire videantur, opera et studio Heliae Putschii, Hanoviae 1605, pp. 2803 (!), quibus indices locupletissimi addendi.*

inquit — *aut recitant, voces perperam enuntient et dum in eo peccant, ne intelligere quidem videantur.*

Omnibus vocibus Italiam et Graecam interpretationem subiicit, aliis linguis, quae eosque addi consueverant, *ut speciosus titulus Septem linguarum inscriberetur*, omnino neglectis. Vocis quoque etymon saepenumero adiecit, si tamen probabile neque longius petatum videretur. Quo planius autem et aptius et luculentius interpretatio vim vocis exprimeret, nulla ei religio fuit, ut illis etiam uteretur Italicis verbis, quae Etruscis non probarentur. In interpretatione vero eam semper primo loco indicavit sententiam, quae cuique vocabulo proprie accepto subesset, figuratis variis aliis significationibus pone subiectis.

Cumque ex Latino lexico multo plura quaerant, qui scribendo verba componere et sensa sua Latine explicare aggrediuntur, iidem *docendi sunt* — ait — *cuique voci quis sit locus in prorsa aut vorsa oratione, ut Apuleii verbis utar; qua ratione unumquodque verbum aut nomen inflectatur; quae antiqua vel obsoleta sint, quae usitata; qui casus verbis tribuendi sint, quae nominibus genera.*

Omnia denique confirmanda erant scriptorum locis, quae lucubrantes exemplo forent et auctoritati. Qua in re id sibi praestituit, ut plura in eandem sententiam afferret copiamque affectaret, quamvis nimius videretur alicui. Hoc enim efficit, ut et quaedam obscura pluribus firmata exemplis planiora fiant, et plura occurrant adulescentibus, qui, cum in scribendo saepe inopiam querantur, nihil impensius quaerunt quam abundantiam. Neque satis illi fuit ex aliis exempla colligere, sed hanc sibi legem imposuit, ut nullum admodum testimonium afferret, quod non prius ipse suis oculis in ipso auctore vidisset; adeo ut maluerit omittere exemplum aliquod, etsi maxime ad rem faceret, quam incerta pro certis venditare.

Super omnia autem, Gregorii Barbadici monita et exempla secutus⁴⁰, hoc sibi assequendum proposuit, ut puros Romanae

⁴⁰ Haec I.B. Martialis, in Seminario studiorum praefectus, de Episcopo illo sanctissimo testatus est in Processu Beatificationis Bergomi habito: *Fattomi chia-*

eloquentiae fontes recluderet, quibus haustis aptiores fierent olim Verbi Dei administri. Hoc ille summopere discipulis, diuturni offerens munera studii, perorationis quasi more commendat:

In hoc unum industriam, vires, tempus collocavi: adulescens manus admovi, senex, dum perficerem, factus sum, ut videtis. Vtrum nihil aliud, quam ab aliis descriperim, conferendo cum aliis intellegitis.

Macti igitur animis, studiosi clerici: Romanam eloquentiam amate, quae vobis olim sanctae Ecclesiae inservientibus magnopere est profutura: et praeter assiduam curam, qua bene merentur de studiis vestris magistri seduli, haec etiam a me subsidia habete.

Quae omnia ubi demum *quomodo potuit, quomodo scivit*⁴¹, absolvit eademque Seminario suo, praecipuum pignus amoris concedidit, sarcinulas colligere parat *magistrorum ille magister*, quem nuncupaverant omnes⁴², ad suos rediturus, ut *erat in votis, ruris amator*⁴³.

*Flentibus hinc maestus discessit amicis*⁴⁴, ut Plavis undas et amoena virentia et suorum ora vultusque Foeneri reviseret.

*Dilectus Deo et hominibus*⁴⁵ triennium ibi extremae traduxit aetatis. In bona dein senectute, anno mortalis aevi LXXX, humanae Salutis MDCCLXVIII, non. april., qui dies tertius fuit Sanctissimi Paschatis, *in osculo Domini*, ut ipse quondam de Sancto suo Aegidio narraverat, *mortem obiit pro contemptu rerum humanarum aeternas caeli divitias et pro fuga laudis perpetuos honores a Deo, cui unice adhaeserat, consecuturus*⁴⁶.

mare in camera, mi somministrò i suoi propri libri, e mi suggerì l'artificio e metodo della scuola e tutto l'ordine per tutto l'anno. E disse mi: A me preme fra tutte la vostra scuola di Retorica: da questa dipende il bene di tutta la diocesi, perchè se mi fate i vostri scolari buoni e retorici, questi diventati parrochi sapranno predicare e insegnare ai popoli, con frutto delle loro anime e del servizio di Dio.

⁴¹ Praefatio V mem.

⁴² Cf. L. VIOLATO, op. mem., sub die 1 Maii 1765.

⁴³ Cf. HOR., Sat. II, 6, 1; Epist. I, 10, 1.

⁴⁴ Cf. HOR., Sat. I, 5, 93.

⁴⁵ Eccli. 45, 1.

⁴⁶ Haec extrema *De Vita S. Aegidii* verba, Forcellini manu scripta, leguntur apud SCARAMELLI, *Direttorio mistico*, sub finem exemplaris Bibl. Sem. Pat. — De For-

Haec habui, quae vobis, humanissimi auditores, annum bis centenarium commemorans, de Forcelliniano Lexico exponerem. Quod quidem Iacobi Facciolati consiliis et curis exortum, aliorum postea industria subsequenti aetate immutatum et auctum (haud dixerim *coctum atque recoctum*...) unius crevit Aegidii Forcellini labore et arte et ingenio, monumentum sane maximum a tanto viro Seminario suo Patavino excitatum.

Quo utinam velint, novis quoque magnisque subeuntibus Grammaticorum inventis, diu etiam in posterum uti *veterum sapientiae* cultores, ut penitus valeant tot antea per saecula concretos Latinae linguae thesauros detegere atque illustrare; Latinae, inquam, linguae, quae Romanae Ecclesiae quasi administra et gravissima nuncia, ab Ecclesia latius quam ab ipsa olim principe terrarum gente propagata⁴⁷, huic etiam saeculo, tam avide nova quaerenti, tradita reserans remedia salutis, nonnihil poterit succurrere infirmo.

Id praesens obtineat Christus ab aethere; haec iterum dona Caput orbis gentibus afferat, ut, quae populis olim leges tulit, linguam

... *victorisque arma Quirini*⁴⁸,

eosdem nunc moribus, concordia, fide, Petri auspice Sede, Roma mater antiqua coniungat,

qua nihil in terris complectitur altius aether,
qua in orbe

*cuncti gens una sumus*⁴⁹.

ALOISIVS DAL ZOTTO

cellini funere ac tumulo in Ecclesia S. Vlderici de Campo, cf. quae edidimus in mem. opusc. *Umanità* etc. pp. 301-303. Hic tantum referre iuvat inscriptionem, quam sibi, at frustra, sepulcro apponendam composuerat Aegidius, quam fortasse ex eius scidulis Casamata (op. mem. c. 12) deprompsit: AEGIDII FORCELLINI BERNARDINI F(ILII) / SEM(INARII) PAT(AVINI) ALV(M)NI SACERDOTIS ET λεξικογράφου / OSSA SVB HOC LAPIDE EXSPECTANT DVM CHRISTVS AB ASTRIS / EXTREMO VENIAT REDDERE IVRA DIE / V(IXIT) A(NNOS)... / ABIT AD PLVRES A(NNO)... εὖ πράττειν τὰδε ἀναγκ<α>ψαν> τι.

⁴⁷ Cf. *Dedicatio Antonio Marino Card. Priolo*, Lexico praemissa (*Praefatio* I).

⁴⁸ VERG., *Georg.* III, 25.

⁴⁹ CLAVD., *De Consul. Stilich.* III, 131 et 159.

Cum in caelo fere semper sereno solis lumen purius refulgere cernis, cum aequor, marmoreum, clarius splendere aut horrescens favonio spirante, lascivius ludere vides — et item inter praecipites rupes luci argentei olearum rident et cupressus et obscurae Medicae arbusculae aureis pomis micantes et palmae et flores copiosissimi — cum denique eadem nomina vel urbium vel oppidorum saepius afferri audis, quae fabulosa quasi didicisti a Graecis poetis, tum, peregrinator, memento sacrum te solum calcare.

Haec tellus praeter ceteras Deo cara esse videtur, nam hic ver fere perenne est, aestas nequaquam aestuosa, hiems vero temporibus laetioribus quasi oppressa vix timide apparere audet. Sed in hac fortunata terra, ubi semina vix in solo deposita, statim naturae felicitate luminis almas oras appetunt, ubi singulae arbores saepius frugiferae sunt silvae, hic humana mens altius se extulit in omnibus artibus et doctrinis et copiosiores fructus cultus humanitatisque ceteris nationibus tradidit. Hic orta est altera Graecia, maior opibus, maior amplitudine imperii, vix cedens praestantia ingeniorum.

At non solum templa Paestana vel Agrigentinum Concordiae vel rudera Euryali, sed caelum quoque, mare, arva, rivos, silvas admirantes ingenium antiquitatis haurire possumus et potiore fortasse ratione. Quisquis enim, ut exemplum proferam, Homerum admiratur ac penitus in reconditos et secretos fontes poeticae eius virtutis penetrare cupit, plenius fortasse id consequetur, si fretum Siculum transierit et ad Cyclosum scopulos vel ad Aetnae radices accesserit, quam si laboriosa tantum edidicerit volumina abstrusa doctrina referta.

Verum vero non modo antiquitatis monumenta exstant innumera et famosa in Magna Graecia sed etiam illius aevi, quod

* Haec commentatio aureo nomismate in Certamine Vaticano XII ornata est.